SACRA SVPREMA REGIA

SENTENTIA, LATA IN SACRO SVPREmo Regio Aragonum Consilio.

REFERENTE

NOBILI DON IOSEPHO DE BOXADOS, ET CASADAmunt, in eodem Sacro Supremo Consilio Regente.

IN FAVOREM

DON ONVFRII SANZ DE LA LLOSA, OLIM CRVILLES, DOmini Loci de Guadacequies.

CONTRA

DOMNAM VINCENTIAM CRVILLES, ET DE CARROZ.

SVPER

SVCCESSIONE LOCI DE GVADAcequies, & aliorum bonorum recadentium, in vinculo instituto per Nobilem Don Raymundum Sanz de la Llosa, Regiæ Audientiæ Valentinæ Doctorem.

VALENTIÆ: Typis VINCENTII CABRERA, Bibliopolæ, & Typographi Civitatis, in Vico Scapharum, Anno 1677.

†
I H S.



VIA præſens cauſa eſt ſupplicationis introductæ in hoc noſtro S. S. R. A. Conſilio, per Onuphrium Cruilles, petitione oblata die vndecima Februarij, milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſsimi ſecundi, à Sententia lata in noſtra Regia Audiencia, noſtri Regni Valentiæ, & publicata die vndecimo menſis Auguſti, milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi primi, per Laurentium Saboya, Regium noſtrum mandati ſcribam qua fuit declaratum procedere, & de iure locum habere, iuſtificatamque remanere inſtantiam factam, per dictam Curatricem in relata ſupplicatione, ſuccedereque in dicto fideicommiſſo Vincẽtiam filiam Melchioris de Cruilles, & ſecuto illo tradendam fore, & eſſe poſſeſſionem dicti Loci de Guadacequies, & aliorum bonorum recadentium in dicto fideicommiſſo Vincentiæ, vt cum dicta Sententia tradi iuſſum fuit, amoto quatenus opus ſit à poſſeſſione dicto Onuphrio, cum expeditione mandatorum opportunorum, ſeu litterarum iuxta ſtilum, & neutram partem in expenſis condemnando. Attento licet per Vincentiam Soler, vti Curatricem D. Vincentiæ Cruilles, filiæ Melchioris de Cruilles, petitione die ſeptima Septẽbris, milleſimi ſexcẽteſimi ſeptuageſimi ſecũdi; & alijs in diſcurſu cauſæ oblatis prætẽſum ſit prædictam Regiam Sententiam in ſui favorem factã confirmari cauſis, & rationibus in ea expreſſis, & eo quia Nobilis Raymundus Sanz teſtator non fundavit in dicto Loco de Guadacequies, & alijs bonis fideicommiſſum, ſed maioratum, quod demonſtrari valet dicendo, quod ſuccedere deberet vnus ſolus, & quamvis in aliquibus caſibus expreſſit, quod eſſet electivus in cæteris, ſua voluntas fuit ſuccedere filium maiorem, ob quod dicendum venit regulandam eſſe ſuceſſionem ſe-

cun-

cundum qualitatem lineæ primogenitæ, in qua reperitur Vincentia Cruilles, & non attenta proximitate gradus,& Nobilis Melchior de Cruilles, vti primogenitus filiæ maioris Don Onuphrij primi hæredis constituit lineam primogenitam pro se, & suis descendentibus,sub quibus inclusa reperitur Domna Vincentia Cruilles,eius filia, & de declaratione facta per D. Didacum Sanz in favorem Don Onuphrij Cruilles, nulla sit habenda ratio, cum non sit descendens ab eo, & electio concessa successoribus solum fuit permissa inter suos filios, & descendentes tantum, nec potest prætendere prælationem Don Onuphrius contra Domnam Vincentiam, vti masculus, quia in fideicommisso regulari pro vt est de quo disceptatur, masculus lineæ secundogenitæ, non excludit fœminam lineæ primogenitæ, in qua reperitur sola Domna Vincentia. Nec ad rem facit, quod si D. Vincentia Sanz, viveret teneretur eligere Don Onuphrium, vti filium masculum in vim electionis ei per testatorem concessæ, quia non evenit casus ob suam præmorientiam ante quam deficerent masculi, ex masculis. Cæterum, quia constat Nobilem Raymundum Sanz de la Llosa, Regiæ Audientiæ nostri Regni Valentiæ Doctorem, suo vltimo testamento recepto per Petrum Paulum Viciedo Notarium, die decimo octavo mensis Decembris, anni millesimi sexcentesimi trigesimi quinti, & publicato die decimo quinto Octobris, millesimi sexcentesimi trigesimi septimi in omnibus suis bonis instituisse hæredem Don Onuphrium, filium suum primogenitum, & vtendo facultate ibi reservata in donatione illi facta contemplatione matrimonij apponendi pacta, conditiones, & vincula sibi benevisa voluit, quod decedente Don Onuphrio cum filijs legitimis, & naturalibus haberet facultatem nominandi successorem vnum ex filijs masculis,quẽ voluerit,tam Loci de Guadacequies, quam aliorum bonorum hæreditatis suæ, & quia tunc temporis solum habebat filium Don Raymundum, illum elegit cum clausula, si vivus erit, & in cassu præmorientiæ Patri suo cum filijs legitimis, & naturalibus mas-

culis dedit eis facultatem eligendi vnum ex filijs masculis, & si vnum haberet maluit electum remanere, & cum eadem facultate eligendi vnum ex filijs masculum ex masculis dicti Don Onuphrij, & descendentium illius masculorum ex masculis legitimis, & naturalibus de legitimo, & carnali matrimonio procreatis, absque detractione legitimæ falcidiæ trebelianicæ, & alterius cuiuscumque iuris; & eandem electionem concedit filijs, & descẽdentibus D. Onuphrij, & suo in casu descendentibus Don Balthasaris Sanz de la Llosa, & in eadem clausula substitutis, & vocatis, & in casu quo successor in dictis bonis non haberet, nisi vnicum filium masculum ex masculis, quod remanet electus, & etiam in casu non factæ electionis, & si plures haberet, & non eligeret remaneret electus filius maior masculus ex masculo, & quod sic sequeretur ex vnis in alios in perpetuum, durante linea masculina, & suorum filiorum, & descẽdentium masculorum ex masculis, absque detractione dictorum Iurium. Declarans, quod in descendentia masculina Don Onuphrij masculi ex masculo, & suo in casu in descendentia eiusdem qualitatis Don Balthasaris, vult facere vinculum perpetuum, & electivum forma supra expressa, & in casu deficientiæ filiorum, & descendentium legitimorum, & naturalium Don Onuphrij, masculorum ex masculis, invitavit ad successionem Don Balthasarem, filium secundogenitum cum eadem clausula si vivus erit, & illius filios, & descendentes masculos ex masculis, cum eadem facultate eligendi, & casu quo non haberet, nisi vnum masculum remaneret electus, & in casu non factæ electionis, quod succederet filius maior eodem modo dispositio in filijs, & descendentibus Don Onuphrij, ac prohibitione, deductione Iurium prædictorum, & in defectum agnationis supra vocatæ, vocavit filiam maiorem Don Onuphrij primi hæredis, cum clausula si viva erit, & cum eadem facultate eligendi vnum ex filijs masculis illius eodem modo, quo supra fuit dictum cum obligatione deferendi nomen, & arma testatoris, & quod ita sequeretur inter filios filiæ maioris,

ris, & eorum deſcendentes in perpetuum,ſervato ordine electionis in omni tempore nominandi inter illos, pro vt ſupra dictum fuit. Et tandem adiecit aliam clauſulam dicendo, quod ſua intentio, & expreſſa voluntas erat bona ſua ſubiacere reſtitutioni fideicommiſſi abſque quod poſſit interpretari aliquo modo. Et ſecutum ſit, quod mortuo teſtatore cum duobus filijs Don Onuphrio primogenito, & Don Balthaſare ſecundogenito ſucceſſit dictus D. Onuphrius, & deceſſiſſet relictis vnico filio Don Raymundo, & Domna Vincentia Sanz, quæ nupſit cum Don Monſerrato de Cruilles, & ex illo matrimonio habuit Don Melchiorem filium primogenitum, & Don Onuphrium Cruilles ſecundogenitum: & dictus Melchior habuit in filiam Domnam Vincentiam Cruilles,& dicta Domna Vincentia Sanz, filia Don Onuphrij, primi hæredis, & Don Melchior de Cruilles, deceſſerint poſſidente Don Raymundo, qui ſucceſſit ſecuta morte Don Onuphrij Patris ſui, & ſimiliter ab humanis deceſſit Don Didacus Sanz, vltimus maſculus ex maſculis,pendente hac ſupplicationis cauſa,ſuperſtitibus Don Onuphrio Cruilles, & Domna Vincentia Cruilles, filia Don Melchioris de Cruilles, fratris Don Onuphrij. Et attento quod, ex his omnibus ſatis apparet voluntatem teſtatoris, quæ precipuè, & principaliter in teſtamentis, & fideicommiſſis eſt ſemper attendenda, fuiſſe inſtituere fideicommiſſum agnatitium perpetuum, & electivum cum qualitate ſuperviventiæ tempore delatæ ſucceſſionis in omnibus vocatis, & qui in eo ſuccedere debent, abſque eo quod poſſit in contrarium interpretari non ſolum in maſculis ex maſculis, verum, & etiam in filijs filiæ maioris Don Onuphrij primi hæredis, quæ elicitur ex clauſulis teſtamenti poſitis, poſt vocationem illarum, ibi: *Com de ſus eſtà dit*, & ibi: *en lo modo de ſus dit*, quæ vti repetitivæ vocationis maſculorum ex maſculis, & poſita conſecutiva poſt filios maſculos, & filiorum, & deſcendentium filiæ maioris ſecundum veriores Doctorum Sententias placuit,quod cenſetur repetita qualitas maſculinitatis in quolibet ex filijs, & deſ-

cenden-

cendentibus prædictis, & quod intentio testatoris fuit, quod suscitaretur tali casu agnatio, si non verè saltim, ficte, & artificiosè, aut eo modo, quo de Iure procedere posit. Et attento etiam, quod si viveret Domna Vincentia, filia vnica Don Onuphrij primi hæredis, tempore quo deficerent masculi ex masculis, qui casus iam evenit per mortem D. Didaci Sanz de la Llosa, sine vlla successione, teneretur eligere D. Onuphriũ Cruilles, vti filium masculum, minimè posset eligere Domnam Vincentiam Cruilles, eius neptem: *Eo quia sola fuit concessa electio de filijs, & non de neptibus, & in Dompna Vincentia, deest qualitas masculinitatis, quæ præcisè concurrere debebat.* Et attento etiam, quod iam à testatore fuit preventum, quod eveniente casu, quod solus remaneret vnus filius masculus ex vocatis tempore delatæ successionis ille censeretur nominatus: *Et quia dictus Don Onuphrius solus invenitur tempore, quo venit deferenda successio, evidentissime constat de Iure dicti D. Onuphrij, in successione memorati fideicommissi fundati per dictum Nobilem Don Raymundum Sanz de la Llosa testatorem.* Nec obstant motiva Regiæ Sententiæ, & in contrarium allegata, quia præterquam quod ex dictis iam satis elisa remanent, facilime disolvuntur, quia stante clausula apposita per testatorem supervivientiæ requisitæ in omnibus vocatis, pro vt dictum est, *non potuit Don Melchior Cruilles, filius maior D. Vincentiæ Sanz, transmitere ius fideicommissi in eius filiam, & suos descendentes, quod ipse numquam habuit, quia non successit nec ei fuit delata hæreditas, quæ requirebatur de iure ad prætensam transmissionem.* Et quamvis Domna Vincentia, reperiatur defuncta tẽpore delatæ successionis, ob quod est certum, quod non potest eligere, & sic videtur exclusa facultas eligendi, & filius maior illius inclusus, tamen quia non sumus in casu non factæ electionis à filia maiori, cum ipsa ob eius mortem secutam ante extinctionem lineæ masculinæ ex masculis numquam potuit eligere, sed solum in casu prævẽto à testatore, quod remanente vnico filio masculo ille succedere deberet. Id circo, & aliàs deliberationem, & conclusionem in hoc S. S. R. A. Consilio, sumptam insequendo, sententiamus, pronuntiamus, & declaramus,

minus

minus benè in dicta Regia Sententia fuiſſe declaratum, meliorandamque, ſeu revocandam forè, & eſſe pro vt cum præſenti revocari mandamus, & Locum de Guadacequies, & alia bona recadentia in fideicommiſſo fundato per Nobilem Don Raymundum Sanz de la Lloſa, adiudicāda forè,& eſſe in favorem Don Onuphrij Cruilles, pro vt cum præſenti dicto Don Onuphrio de Cruilles adiudicari mandamus, & conſequenter tradendam fore, & eſſe poſſeſſionem realem, & actualem dicti Loci de Guadacequies, & aliorum bonorũ vna cum fructibus perceptis, & decurſis à die mortis D. Didaci Sanz de la Lloſa, non obſtantibus in contrarium deductis, & allegatis,& neutram partem in expenſis condemnamus, ſed probiſtractis ſolitam executionem fieri mandamus.

D. Petrus Villacampa, & Pueyo.

V. Fernandez ab Heredia, R. *V. D. Ioſeph Boxados, R.*

Lata, & promulgata fuit huiuſmodi Sententia per Nos, ſeu in noſtri perſonam, per Nobilem, Magnificum, & Dilectumque Conſiliarium noſtrum, Regiam Cancellariam Regentē D. Petrum Villacampa, & Pueyo J. V. D. Equitem Ordinis,& Militiæ B. M. Monteſiæ, & S. Georgij de Alfama, & Aſſeſſorē Generalem eiuſdem Religionis,& de noſtro,ſeu ipſius mandato,lata, & publicata per dilectum alumnũ, & ſcribam mandati noſtrũ Ludovicum Boher, & huiuſmodi cauſæ, in quadam Camera noſtri Regij Palatij, quod in præſenti oppido Mantriti,fovemus in Parrochia S.Ioannis,vbi noſtrũ S.S.R.A. Conſilium celebratur, die videlicet mercurij computata duodecima Maij, anno à Nativitate Dñi. milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, præſente,& dictā Sententiam ferri,& publicari petente,& humiliter ſupplicāte Vincentio Nadal, Procuratore D. Vincentiæ Cruilles, altera vero parte abſente, necnon præſentibus proteſtibus Bernardo Enriquez,Emanuele Martinez, & Ioanne Antonio Montemayor, Regijs portarijs Cameræ S.ac R. A. Conſilij, & alijs quam plurimis ibidem exiſtentibus.